ORATIO
DE OFFICIO MAGISTRATVS POLITICI.

Scripta & publicè recitata

A

IOACHIMO ANDREA SCHLIK.

Comite Paſſauino & VVeiſenkirchio; cum ipſi ampliſſimum Rectoris munus, in inclyta Ienenſium Academia deferretur Anno 1591.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Typis excudebatur Dresdæ, Anno
M. D. XCIIII.

Hie. Schutz.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

Domino

FRIDERICO GVILHELMO,

Duci Saxoniæ, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Electoratus Saxonici Adminiſtratori digniſſimo, Domino ſuo clementiſs. S. P. D.

Ioachimus Andreas Schlik, Comes.

ORATIVNCVLAM HANC, Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, DE OFFICIO MAGISTRATVS POLITICI, ante quadriennium fermè in inclyta tua Academia à me ſcriptam & publicè recitatam: ſub auguſtiſſimo tuo nomine, in lucem jam prodire placuit. Non quod eiuſmodi Heroē, chartaceum deceat munus; ſcio enim, illuſtriſſi-

ſtriſsimæ tuæ familiæ decus ac ſplendorem, virtutes eximias, eruditionem atq; doctrinam ſingularem, longè alia maioraq; requirere: ſed vt deuotæ in te obſeruantiæ meæ ſtudium, & quantulumcunq; in literis conatum meum aliquomodo teſtatum facerem. Eam itaq; vt ſolitâ clementiâ accipere, & quod hactenus eſt factum & abundè factum, tuo clementi patrocinio atq; amore, Comitem Schlikium deinceps complecti digneris: qua par eſt animi ſubmiſſione rogo. Ego, ſi nihil aliud propter tenuitatem meam præſtare poſsum, ſaltem nomen tuum vt numen aliquod colam: atq; votis, ominibusq; ſecundis proſequar: pijs quoq; precibus à DEO Opt. Max. contendam, vt qui Te, harum regionum, MAGNAM ILLAM ARBOREM conſtituerit, etiam lucis huius vſuram diuturnam clementer largiri velit: quò in poſterum etiam ſub VMBRA eius, tutò latitare Eccleſia, florere juſticia, nosq; omnes & ſinguli vitam tranquillam & pacatam

tam

tàm degere queamus. Vale Neſtorios in annos, & literulis hiſce meis importunis fortè, inconditis certè, ignoſce. Dreſdæ veloci calamo 20. Octob. Anno 94.

ORATIO

ORATIO.

MVLTA QVIDEM, Illuſtres & inclyti Barones, Reuerendi, Nobiliſsimi, Clariſsimiq; viri, cæteriq; qui adeſtis, nobilitate, eruditione, ſapientia, dignitate præſtantiſsimi, cùm præclara, tùm inter res humanas conſideratione inprimis digna, ſacris prodita ſunt literis: quibus dignitas eximia, honor ſingularis, laus inſignis, authoritas deniq; magna, meritò tribuitur. Veruntamen ſi ea diligentius conſiderare et intueri voluerimus, facilè depræhendemus, nulli eorum maiorem uel honorem, vel potentiàm, vel authoritatem, vel dignitatem à DEO opt. max. eſſe conceſſam, quàm Politico magiſtratui. Etenim (ne longiùs abeam) quid ſibi aliud volunt ſuauiſsimæ illæ appellationes à DEO ipſo poteſtati ciuili attributæ? Vos Dij eſtis, patriæ patres, populi paſtores, nutricij Eccleſiæ. quid illud, quod apud diuum Apoſtolum legimus? Omnis po-

teſtas à DEO eſt ordinata, non temerè eadem gladium geſtat, miniſtra DEI eſt, vltrix in iram ei, qui malum agit. Quæ omnia, oratione compoſita, ornata, prudenti, ab eo, qui ante me dixit, viro clariſsimo anteceſſore meo expoſita, minimè equidem arbitror à me denuò inculcari debere: ſed tamen, quia pro more & conſuetudine Academiæ noſtræ laudabili, ex officio mihi aliquid eſt dicendum, ad vos de officio Politici magiſtratus, ex hoc loco ad dicendum ampliſsimo, verba nunc faciam, etiam atq; etiam vos orans, ſpectatiſsimi auditores, vt pro ſingulari humanitate veſtra ſummaq; noſtrum in ordinem beneuolentia, adhuc tantuli temporis audientiam mihi impertire, veſtramq; hac inſuper acceſsione augere velitis beneficentiam. Ac mihi quidem accuratius rem perpendenti, ſacraq; euoluenti volumina, non exiguam muneris huius in eo eſſe poſitam partem videtur, vt vero Dei veri cultu, antiquius nihil habeat, omnemq; nauet operam, quò diuini numinis cultus, à labe omni immunis conſeruetur, & ad poſteros propagetur. DEVS namq; ipſe Regibus populi ſui ſeuerè mandauit, vt ante omnia pietati ſtuderent, δευτερονόμιον legis in volumine deſcriberent, acciperent exemplar à ſacerdotibus tribus Leuiticæ, illud ſecum haberent per-

pe tuò

petuò, omnibus vitæ ſuæ diebus legerent: quò Dominum Deum ſuum timere, verbaq; eius cuſtodire diſcerent. Quod diuinum mandatum, diuinus ille vereq; regius Propheta Dauid, dies noctesq; in animo ſuo habuit, vt Pſalmi ipſius teſtantur. Verbum inquit tuum DOMINE, lucerna pedibus meis, & lumen ſemitis meis. Eloquia tua dulcia faucibus meis, ſuper mel ori meo. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Neq; tamen ſola in eo, ſufficit religionis ſcientia, ipſe vt ſit Magiſtratus ſacris imbutus literis, perlegat ſæpe, magnifaciat: verùm neceſſe habet, vt ad idem faciendum ſubditos quoq; ſuos aſſuefaciat, ſuoq; tùm exemplo, tùm præcipiendi ſtudio, ad puram caſtamq; doctrinam amplectendam eos exuſcitet, idololatriam omnemq; hæreſin funditus tollat. Sacrilegium enim hoc, quod in religionem diuinam committitur, non modò per ſeipſum crimen graue eſt atq; nefarium, ſed pœnas etiam ſecum attrahit longè grauiſsimas, & calamitates tùm publicas tùm priuatas. Quid opus eſt exemplis? terret Rex ipſe, quo nemo ſub orbe vixit ſapientior, Salomon, cuius idolorum cultū grauiſsimæ pœnæ ſunt ſubſecutæ, regni duas in partes diuulſio, bella inter Iudæ & Samariæ regem aſsidua, decem tribuū diſsipatio,

atq;

atq; exilium perpetuum. Formidinem Ahas incutit, cuius idololatria populi Iudaici potẽtiam fregit, ſummamq́; redegit in anguſtiam. Sollicitum atque anxium alij me reddunt, qui non ſolum ſeipſos de ſolio deturbarunt, ſed & in eandem ſubditos calamitatem atq; ruinam pertraxerunt.

Neq; minùs deinde ad officium Magiſtratus pertinere arbitramur, vt quæ alijs præſcribit, ipſe faciat, nec tàm mandatis vtilibus ac neceſſarijs, quàm exemplis ad pietatẽ excitet ſubditos. Quamuis enim, qui in imperij ſunt præcelſo editoq́; loco poſiti, exleges omnibusq́; juris exempti vinculis dicantur, ac propterea, Iaſonis illud crebris nonnulli vſurpent ſermonibus, Parere non didici: arrideat illud adulatoris aulici, Si libet, licet, & quod Principi placet, legis vigorem habet: placeat Phalaridis, ὄνομά μου δι' οὐδ' ἐν δέον ἐκμελὲς, ἢ ὅτι νόμοις οὐ πείθομαι, νόμος δὲ εἰμὶ τοῖς ὑπηκόοις: tamen Theodoſii laudatiſsimi Principis judicium probamus, qui dignam Maieſtatẽ regnantis vocem eſſe dixit, legibus alligatum ſeſe profiteri, Imperium maius eſſe reuera, legibus Principatum ſubmittere. Apud Sophoniam Prophetam minatur Dominus, victimas eos Principes atq; Magiſtratus futuros, qui vita mala atq; diſſoluta, offenſionis atq; peccatorum authores extiterint.

Legum

Legum obſeruatione Magiſtratus non minui authoritatem, ſed augeri, magni illas facere, animi eſſe excelſi, contemnere anguſti, euertere improbi atq; profligati, cum Oſorio ſtatuimus. Non minor præterea cura eſſe debet boni Magiſtratus, in diſciplina literarum publica rectè conſtituenda, vt nimirum ludos literarios atq; gymnaſia aperiat, bibliothecas comparet, literas literatosq; prouehat, promoueat, tueatur. Non enim arma, Imperia ſunt quæ conſeruant, non hoc opes atq; diuitiæ faciunt, non familiæ præſtat ſplendor, ſed recta honeſtaq; juuentutis largitur educatio. Non igitur Dionyſius Syrucaſanorum Tyrannus eſt audiendus, qui Platonem vendere juſsit: non Veſpaſianus probandus, qui ob dicendi libertatem vrbe Philoſophos expulit: non Licinius commendandus Imperator, qui literas peſtem & calamitatem publicam, literarum verò ſtudioſos, Rhetores maximè ac Philoſophos, virus & venenum Reipublicæ appellauit: non deniq; Antoninus Caracalla laudandus, qui tantò eſt Ariſtotelicos odio perſecutus, vt Philoſophi libros comburere omnes voluerit: Sed Magnus ille Alexander magnis extollendus laudibus, qui quàm plurimos libros eſſe comparandos cenſuit, quò Principes viros de ijs interdum admonerent

rent rebus, de quibus amici ipſos interdum admonere aut verentur, aut non ita liberè audent. Quod & Alphonſus Arragonius rex eſt ſecutus, qui aliquando interrogatus, quoſnam maximè amaret conſiliarios, Libros reſpondit, hi enim, inquit, non erubeſcunt, non gratiam aliquam aucupantur, ſed quæcunq; volo mihi oſtendunt, & quidem ſine omni metu & adulatione. Sed & illud in officio Magiſtratus requiritur, vt paci & tranquillitati publicæ ſtudeat, in eaq; quàm diu poteſt, ſe ſubditosq; ſuos contineat. Vbi enim bella oriuntur, armorum ſtrepitus audiuntur, gliſcunt ſimultates, iniuriæ ſurgunt hoſtium, ibi à principio vſq; ad finem calamitoſa ſunt omnia, nemo rebus ſuis præeſſe easq; defendere poteſt, communis libertas tollitur, religio conticeſcit, ſilent leges, obmuteſcunt jura, agricultura deſeritur, res pecuaria, ex qua homo viuit, negligitur, ceſſat mercatura, nauigationes quieſcunt, omnia deniq; commoda publica & priuata intereunt. Vbi verò pacata tranquillaq; ſunt omnia, ibi pietas, veraq; religio dominatur, viget juſticia, florent ſtudia, habitat veritas, leges obſeruantur, publicum ſpectatur commodum, creſcit, augetur.

Quis igitur ornatiſsimi auditores, non ea, qua poteſt vocis intentione, cum Ariſtophane altè clamaret?

maret? O pax venerāda, largitrix omnium rerum, quo te nomine appellabo, & vnde verbum ſatis magnificum accipiam. Et illud crebris vſurparet ſermonibus? Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes. Porrò & illud officij Magiſtratus eſſe putamus, vt à prauis ipſe voluptatibus abſtineat, non ludis indulgeat, non ſtudeat compotationibus, non otio turpi atq; inerti ſe dedat. Sapientiſsimus certè rex Salomon in prouerbijs ſuis grauiſsimè præcipit, ne regibus vinum ad bibendum exhibeatur, ne forte bibentes judiciorum obliuiſcantur, cauſamq; mutent filiorum pauperis. Turpe enim, in Magiſtratu præſertim, crimen eſt vinolentia & ebrietas, quæ vbi regnat, ratio exulat, intellectus obtunditur, conſilia deuiant, judicia ſubuertuntur, omne cum ea vitiū graſſatur & prodit. Sed vt hæc & alia benè multa breuitatis cauſa latere patiar, quid eſt quod libidinem incendit? Ebrietas, quid quod expellit pudorem? Ebrietas, quid mentis ſtuporem, labemq; parit memoriæ? Ebrietas, quid capitis dolorem, oculorum rubedinem, manuum tremorem, & infinitos alios morbos affert? eadem flagitiorum omnium mater ebrietas, & vt multa paucis cum Poeta complectamur: *Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.* Poſtremò, ne longiùs faciam auditores,

in eo

in eo totus erit Magiſtratus, vt ſecũdũ leges præſcriptas, non autem proprium arbitrium judicet: non ſummo ſemper vtatur jure: non patulas aures calumniatoribus & Sycophantis præbeat: erga ſubditos ſe clementem non crudelem, & patrem potius quàm tyrannum exhibeat: eosdem non tributis & nimijs oneret exactionibus, aut nouas rationes abradendæ pecuniæ miſellis à ſubditis inueniat: non alienis ſemper videat oculis, audiat auribus, neq; etiam totus ab conſiliariorum judicio dependeat: ijſdem tamen, in pronunciandis ſententijs, compo nẽdis litibus, dirimendis controuerſijs, quàm optima ratione vtatur. Percurri hactenus breuiter auditores, & è multis ac ferè infinitis, paucula quidem, ſed præcipua tamen capita recenſui: vnde facilè animaduerti poſſe exiſtimo, quàm latè ſeſe officium Magiſtratus extendat, & quàm multa ab ijs requirantur, qui Imperij clauum tractare, & ſine damno ac detrimẽto eiusdem tractare cupiunt. Quæ omnia, dum mecum conſidero diligentius, & cum officio Magiſtratus ciuilis, ea, quæ ad ſcholaſtici Magiſtratus officium & munus exequendum pertinent confero, & quo in loco ſim conſtitutus, accuratius perpendo, non parum ſanè me animo perturbari ſentio. Magnoperè enim vereor, vt tàm amplo & difficili huic muneri, vlla ratione præeſſe

aut ſupereſſe queam. Agnoſco enim meam tenuitatem, & meo me pede ac modulo (vt ille ait) libenter metior, neq; quicquam horum in me eſſe reperio, quæ ab ijs requiruntur, qui alijs præeſſe, eosq; regere debent, neq; à voluntate & qualicunq; conatu ac ſtudio meo, vbi diſceſſero, quod pollicear habeo. Veruntamen animum mihi addere, pellere timorem, conſolationem adhibere ſolet, cum me ampliſſimo Senatu Academico, ſtipatum quaſi eſſe intelligo, & ab eodem adiunctum mihi video, ornatiſſimum virum Magiſtrum VVolffgangum Heiderum profeſſorem publicum, cuius fides, induſtria, doctrina ſingularis omnibus eſt vobis nota, & indies magis magisq; innoteſcit. His itaq; freti, vobis Academiæ ciuibus, omne noſtrum ſtudium, induſtriam, curam, fidem pollicemur atq; deferimus, facilitatem in audiendo, lenitatem in diſcernendo, diligentiam in ſatisfaciendo, eam deniq; quam par eſt in animaduertendo æquitatem promittimus. Quamobrem cum ita animatos nos eſſe intelligatis, ſimul & quæ veſtri ſunt muneris atq; officij futura cogitabitis, debitam nobis obedientiam præſtabitis, Apoſtoli illud, poteſtati qui ſeſe opponunt, DEI ordinationi ſeſe opponere, eidem non propter iram ſolum, verùm etiam conſcientiam obedien-

dum eſſe, conſiderabitis, non fumoſis maiorum imaginibus contenti eritis, ſed virtuti ſtudebitis, non otio turpi atq; inerti vos dabitis, non compotationibus indulgebitis, non dies noctesq; totas ludis tranſmittetis, non clamores ac vociferationes, nocturno præſertim tempore, quod non modo hominibus, verum etiam brutis animantibus quietem concedit, leonum inſtar excitabitis amplius, non miſeri, miſeros lapides noctu gladio petetis, ſed fortitudinem ſcilicet illam, in militia non ſcholis eſſe exercendam putabitis, itaq; cunctas veſtras actiones & ſtudia inſtituetis, vt quæ Deo grata vobis vtilia, ſalutaria Academiæ noſtræ toti præſ re queatis. Quod reliquum eſt, pijs precibus à Deo Opt: Max: contendimus, vt cùm omni tempore, tùm hoc inprimis ſemeſtri, noſtri Magiſtratus ſuſcepti, pacem & tranquillitatem Eccleſiæ & Academiæ noſtræ clementer ac benignè largiri, & perpetuum ſcholæ huius Rectorem filium ſuum Dominum noſtrum Iesvm Christvm Emanuelem conſtituere velit: qui nos Argonautas ſuos inter ſcopulos Cyaneos ita gubernet, vt ex magna iactatione, portum tandem conſpiciamus felicitatis & beatitudinis ſempiternæ.

D I X I.

CHRISTFRIED WÆCHTLERI

ORATIO

SOLENNIS,

De

IMMORTALITATE

BONI LEGISLATORIS,

Habita

Wittebergæ in Audit. JCtorum

D. IV. Octobr. M. DC. LXXX.

RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICE, ETC.

QVis eſt ex Vobis, Auditores Ordinum omnium honoratisſimi, qvi, qvæ huic Academiæ, qvæ Urbi huic calamitas acciderit, qvod vulnus patriæ univerſæ inflictum ſit, qvid totum S.R. Imperium detrimenti ſub exitum proximè elapſi Menſis Auguſti ceperit, qvis eſt ex Vobis omnibus, qvi ignoret? Obitum, eheu, luctuoſisſimum, at longè ſimul beatisſimum *Serenisſimi ac Potentisſimi Principis ac Domini*, DN. JOHANNIS GEORGII SECUNDI, *Pii, Felicis, Pacifici, Patriæ Patris, Nutritiiq́; Noſtrûm omnium munificentisſimi*, obitum, inqvam, tanti Principis, tanti Legislatoris, nemo eſt ex nobis omnibus, qvi ignoret. Non eſt hic dies dictus juſtis funebribus; imminet autem, ac propè inſtat feralis dies, dies exitialis atqve æternùm lugendus, dies X. Octobris. Totus ille ſolennis nobis erit; ſed qvia lugubris: totus ſacer atqve nefaſtus; ſed qvia totus ater ac prorſus inauſpicatus. Ille exponet, qvod XXII. Auguſti amiſſum ereptumq́; eſt:

eſt: ille repræſentabit, qvod neſcio an per magnitudinem gravitatemq; doloris & jacturæ, nunc qvidem exactè intelligere atqve complecti animo liceat. Parvi affectus loqvuntur: ingentes ſtupent. Mihi verò, AUDITORES, qvùm ab Inclutæ hujus Academiæ illuſtri Collegiô Juris-Conſultorum, edendi hôc die ſpeciminis inauguralis primi, venia facta gratiosè ſit, alia omnia agenda potiùs eſſe exiſtimô, qvàm ut de funere Electorali, qvanqvam id pectora noſtra intimè percellit ac concutit, plura apud VOS ediſſerere inſtituam. Eam itaqve apud me rationem ineundam eſſe cenſui, ut ſub argumento aliqvantum lætiore promptitudinem obſervantiæ meæ atqve obſeqvii, coram tanto Conſeſſu palàm conteſtans, videar præſentis rerum ſtatûs neq; immemor planè, neq; ignarus omninò extitiſſe. Dicemus autem, Electores & Legislatores Saxoniæ eſſe immortales. Majus oppidò atqve excelſius ingenii noſtri viribus argumentum, neqve uſurpandum temerè ab eo, qvi nihil adhuc dum qvicqvam immortale & duraturum molitus eſt. Sed publicè intereſt tamen, AUDITORES, cogitare, qvâ parte SERENISSIMUS ELECTOR, præter beatisſimam illam, qvæ Animæ cum SS. Trinitate in æternum intercedet, familiaritatem, etiam apud nos, imò poſt multa, ſi qvæ futura ſunt, ſecula, ſuperſtes, atqve ſic undiqvaqve futurus ſit immortalis. Qvare qvâ nunc ope, qvibusq; precibus poſſum ac debeo, obteſtor VOS, *Patres Academiæ Conſcripti, ceteriq; Auditores honoratisſimi*, ut tenuitatem orationis meæ, meditando juveris, atq; ubi ego in eloqvendâ dignitate rerum defecero, eò pro Veſtrâ VOS, PATRES, ſapientiâ, ac humanarum pariter divinarumq; literarum ſcientiâ, ad ſublimiorem ac neceſ-

ſariam contemplationem,cum veniâ in oratorem hiulcum & ſterilem, aſcendatis.

QVô die Cæſar Germanicus, Druſi, Tiberii fratris, filius, Antiochiæ, Syriæ urbe, fato functus eſt, (incidit autem is ante menſem Decembrem anni A. U. C. 772.) lapidata ſunt templa, ait Svetonius Tranqvillus, ſubverſæ Deûm aræ, lares à qvibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expoſiti. Romæ autem audita Germanici mors, ſermones vulgi adeò incendit, ut, qvæ verba ſunt accuratisſimi Annalium Conditoris, ante Edictum magiſtratuum, ante SenatusConſultum, nec expectatâ voce præconis, ſumptô, non indictô juſtitiô, deſererentur fora, clauderentur domus. Porrò, qvô die reliqviæ Germanici tumulo illatæ Auguſti ſunt, inter tot alia luctûs publici monumenta, *concidiſſe Rempublicam*, *nihil ſpei reliqvum*, clamitabant, per campum Martium, miles cum armis, magiſtratus ſine inſignibus, populus deniqve, non ſigillatim, ſed ob magnitudinem periculi ac metum, per tribus. Gnarum id Tiberio fuit: qvumq; aliqvot menſium intervallum juſtitio huic, irregulari valdè, indulſiſſet, inſtante ad Nonas Apriles ſeqventis demùm anni Megalenſium ludorum ſpectaculô, tempeſtivè, (anteà enim nullis id ſolatiis impetrari potuerat,) Edictô monuit: *repetenda nunc iterum ſolennia, exuendumq; tandem tàm diuturnum juſtitium. Neq; enim,* qvod hactenus omnes qveſti eſſent, *Rempublicam corruiſſe*, ſed in Republicâ Principem. *Principes*, ita finit ſumma Edicti, *mortales, Rempublicam æternam eſſe.* Non deſcendemus hîc in

ſententiam Doctoris Batavi, Marci Zuerii Boxhornii: qvi ex allatis Tiberii verbis duplicem illam, qvam fingit, Majeſtatem, aliam nimirum imperantium, aliam ipſius Reipublicæ, (qvam Reipublicæ nomine abſolutè hîc ait appellari,) illuſtriorem reddi atqve probari, falsò opinatus eſt. Nam, ut cætera taceam, qvæ duplicem hunc uſum Majeſtatis prorſus evertunt, certum eſt, illum ab ingenio & mente Tiberii, qvem ſub ſchemate principatûs dominatum exercuiſſe, adeoq; nihil fortè minus, qvàm majeſtatem aliqvam Reipublicæ, qvæ vim ex obſeqventibus habeat, animô volviſſe, omnes novimus, longisſimè abeſſe. Ille autem hoc potiùs voluit: non eandem eſſe per omnia Corporis civilis compagem, qvæ naturalium corporum: neq; everti illicò Rempublicam, ſublatô capite, qvamdiu ſcil. duret conſenſio illa partium, maneant judicia & Leges, character civitatis. Hanc Tiberii vocem qvanqvam à reprehenſione immunem eſſe exiſtimem; major haud dubiè tamen felicitas temporum eſt, ubi dicere, non per adulationem, ſed ex conſcientiâ factorum qveas & debeas, *& Principem immortalem, & Rempublicam æternam eſſe.*

Ac de æternitate Reipublicæ qvidem non eſt nunc animus, ſermonem ingredi: illam tamen, nobis etiam id non agentibus, videbimus in aprico ſimul collocatam, qvando de immortalitate Boni Legislatoris, executi nonnulla fuerimus. Ubi Vosmet ego ipſos, AUDITORES, ſentio non de proſperâ tantùm memoriâ, & fauſtis recordationibus optimorum Principum, qvæ etiam poſt fata illorum durant vel in exſtructis publicè marmoribus, vel in animis tot civium, vel in famâ rerum, cogitare. Nam hoc genus

æter-

æternitatis, exiguam fortè æternitatem Reipublicæ ipſi conciliat. Intelligitis autem, illam immortalitatem nobiliorem longè divinioremqve eſſe, qvæ ab æternitate Legum latarum in Autores ſuos redundat, & in perpetuitate obligationis conſiſtit.

Eſt hoc, ita ego arbitror, velut diadema à ſupremo omnium Legislatore, DEO, omni poteſtati civili ſub primævâ ordinis civilis inſtitutione tributum donatumqve, ut, ſicut Leges divinæ, qvotqvot earum toti humano generi dedit DEUS, & æternæ ipſæ ſunt, qvoad vim obligandi, & de æternitate Auctoris ſui efficacisſimè teſtantur; ita, qvi vice DEI in his terris funguntur, imò, qvi ipſi velut Dii qvidam in ſuo cœlo, in ſuâ Republicâ ſunt, illi non cives modò ac ſubditos ſuos, qvibus hodiè imperant, ſed & eorum poſteros continuâ ſerie, bonis Legibus posſint obſtringere, & huic adeò poſteritati ſuæ, qvæ adhuc in lumbis noſtris eſt, poſt funera etiam, qvaſi vivi, intereſſe ac præesſe. Inſinuat iis hanc partem divinitatis atqve immortalitatis ſuæ DEUS, induendo ipſos parte Majeſtatis ſuæ, ſuiqve in hoc univerſum imperii. Non habemus autem poſt opera creationis, qvæ extra nos ſunt poſita, qvæqve in ſenſus noſtros incurrunt, fortius aliud demonſtrandæ exiſtentiæ Majeſtatis divinæ, in naturâ argumentum, qvàm conſcientiam æternæ iſtius Legis, qvam non didicimus, ſed hauſimus, qvam non legimus, ſed nobiſcum attulimus. Per illam legem voluit DEUS pingere in nobis lineamenta esſentiæ ſuæ, & qvam ab eſſentia divinâ non licet divellere, Voluntatis ſuæ, & qvæ cum Voluntate divinâ unum ſunt, juſtitiæ, ſanctitatis, immortalitatis ſuæ. Qvàm verè hìc exprimitur, DEUM eſſe ſemper juſtum ac bonum, tàm verè

primitur etiam, DEUM eſſe immortalem. Qvæ enim lex per omnia luſtra ac ſpiramenta ſeculorum, absqve ullâ remiſſione & abolitione valet, ſtringit, punit, ea valet, ſtringit, punit non niſi per imperium ac Majeſtatem ſui Autoris, DEI, cujus anni non habent finem. Vis at poteſtas legis cujuscunqve non eſt in cortice aut membrana, neqve in lapide aut Saxo, multò minus in minio aut cerâ, ſed in perpetuâ, & nullâ temporis intercapedine ex ſe rumpendâ ſanctione & præcepto ejus, qvi illam ponendi jus habuit. Hæc ſanciendi poteſtas qvamdiu non minuitur, viridis eſt ac ſemper recens obligatio. Hoc jus ſanciendi, hoc idioma elocutionis divinæ, paſſus eſt DEUS deſcendere ad eos, qvos cœtibus humanis voluit eſſe inſtar auræ vitalis, inſtar ſpiritûs, qvem tot millena millia traherent. Qvotqvot illorum igitur in has ſcaturigines, in hunc archetypum poteſtatis Legislatricis perpetuò intuentur, neqve qvicqvam vel faciunt, vel dicunt, vel ſentiunt, qvod inde declinet deviumqve ſit, illorum præcepta, monita, placita, leges, circumfunduntur eâdem illâ arcanâ ligandi vi, qvæ DEI ſtatuta ac juſſa perpetim ambit, eaqve apud nos reddit immutabilia.

Agnoſcitis, Auditores, vera hæc eſſe, qvæ dicimus, de Legibus ſacris pariter atqve profanis, de Legibus Belli tempora Pacisqve ſpectantibus. Omnes enim illæ, qvà bonæ rectæqve ſunt, reſolvuntur in prima omnium legum initia & incunabula, qvæ cuiq; noſtrum à naturâ ſunt inſita. Neq; putandum eſt, fata temporum, ſtatumq; Reipublicæ, qvi toties vertitur, hîc qvicqvam efficere aut innovare. Qvanqvam enim qvælibet Civitas ac populus peculiare ſibi qvoddam propriumqve jus, qvod Leges appellamus, videatur

atur excogitare,idqve, qvoties è Republicâ eſſe cernitur, reformet,transmutet,corrigat; conſtat tamen, tunc non mutari legem,ſed applicationem & uſum ejus variare. Manet idem ſenſus Legislatoris,idem contextus, eadem harmonia, idem centrum omnis ordinationis & conſociationis,etiamſi incautos imago qvædam abrogationis aut abolitionis decipiat. Nec aliunde eſt tota illa, qvæ emergere hic videtur, variatio, qvàm qvòd elocutio legis, qvæ ab homine fit, propter imperfectionem noſtram non poſſit adeò amplis terminis ac finibus promulgari, efferri ac explanari, ut ad definitionem caſuum omnium, qvi hodiè, cùm lex proponitur, non prævidentur, qveant ſufficere. Fit igitur, ut, dum Legislator humanus præcipit, non poſſit hactenus non intelligi vetare ea omnia, qvæ præcepto iſti adverſantur. Contingit tamen viciſſim, ut, qvæ poſtmodùm ſuccedunt, momenta rerum doceant, non id omne eſſe prohibendum, qvod ab initio prohibitum eſſe credebatur. Hic fallimur, ſi ipſam vim Legislatoriam accuſamus, eive qvicqvam decedere arbitramur. Nam ſi ex Legislatore, qvô tempore ille condebat legem, tu interrogaſſes, utrum velit præceptum iſtud porrigi atqve extendi etiam in hoc factum, qvod nunc emergit, ultrò reſponſurus erat, non debere: neqve de illô tunc potuiſſe cogitari. Juſtum juſto, ceu rectum recto, ſemper congruit atqve unum eſt.

Eamus per omnes periodos temporum, ac repetamus retrò, qvæ ab orbe condito Leges unqvam viguerint

qvoqve memoriam duraturum: etiam, ubi nec de Autore fortè, nec de Civitate, certi qvidqvam extabit. Qvidqvid ex diſciplina & ſcholâ DEI, qvò ſuô jure pertinet etiam abysſus omnis prudentiæ rectoriæ ac providentiæ civilis, vel in Ægyptum, vel in Græciam, vel ullam aliam Orbis partem profectum transmiſſumqve eſt, ejus etſi perexigua alicubi rudera ad noſtra hæc tempora videantur ſervata, univerſum id tamen ſupereſſe putandum eſt: ſed & efficaciter nos obligare, & vel abſolvere, vel condemnare. Non qvà poſt tot annorū myriades, ex tàm profundâ Gentilitatis ſuperſtitione & ignorantiâ, ad nos pervenit, verùm, qvà puritatis morum, rectæq; inſtitutionis ſicilimenta ac ſpicilegia ibi hodieq; conduntur. Ubi ad Romanos ventum eſt, dic mihi, qvî factum fuerit, ut populus tam ferox, tam ſuperbus, tàm ſibi ſufficiens, tamq; potens, ſolenni ad Græcos factâ Legatione, jura inde & Leges accerſere non erubuerit? Qvî factum, ut numerus ille X. Tabb. in memoriam rei & Decemviratûs, tàm ſanctè habitus ab iisdem fuerit, ut non niſi duas adjicere auſi ſint? Ita qvidem, ut qvamvis ſubſeqvente tempore cumulus legum ſuper alias acervatarum in immenſum creſceret, Tabulæ illæ Græcæ tamen, velut honoratiores, ſuo ſemper loco ſanctè haberentur, manerentqve fons omnis publici privatiqve juris; qvod eſt judicium Hiſtorici. Nulla debebatur, exiſtimo, reverentia imperii Græcis: ſtante jam pridem αὐτονομίᾳ Romanâ, & in patentiores qvotidie limites, cum ſtupore finitimorum, ſe explicante. Fecit autem partim conſonantia Legum Græcarum cum interiore dictamine, partim emendatio morum, ab Ægyptiis, aliisqve populo DEI vicinis Regibus, per occultum qvoddam imitandi æmulandiqve genus & artificium, ad Græcos transyecta,

recta, ut Leges illorum etiam apud Romanos, Gentem tàm moratam, admirationem mererentur & conſenſum, iisq; paſſim obediretur ab illis, qvi Orbis imperium aut affectârunt aut tenuerunt. Leges ergò iſtæ Græcorum obligârunt Romanos, qvà fundamentum, & vinculum conſcientiæ, anteqvam Romanis innoteſcerent: atqve ſic Solon, & qvisqvis alius prætereà Legislatoris partes apud Græcos adminiſtravit, imperabat Romanis, nullô fortè nec jure nec injuriâ cognitis. Imperavit autem Lex morum potiùs æterna; qvam Romani, qvandoqvidem vim ſibi inferre non ſunt auſi, non potuerunt non agnoſcere in Tabulis iſtis ſpirare, loqvi, præcipere, ac prohibere. Nimirum lex, ut Cicero ajebat, (cujus libri malè apud noſtros habentur, qvod ab omnibus leguntur nec intelliguntur,) *Lex*, inqvam, *nihil eſt aliud, niſi recta, & à Numine Deorum tracta ratio.* Qvid erat ergò in legibus Gentilium, qvod illi à DEO traxerint? Nobis putâſſes de eô demùm gloriari licere, apud qvos Moſis & Chriſti ſententiæ, veri illi & ſalutares omnis publici privatiq; juris fontes, immortali beneficio, qvaſi confluxêre. Cicero tamen, ut erat in hôc homine rerum divinarum non vulgaris intelligentia, cogitando aſſecutus eſt, ſublimiori principio, qvàm traditionibus majorum, deberi omne rectum, juſtum, bonum. Atqve ita, ut dixi, factum eſt, ut Romani hactenus ſubjecerint ſe Legislatoribus etiam illis, à qvibus ſe haberi pro Barbaris non ignorabant, eosq; à Diis qvaſi edoctos fuiſſe, ipſo facto & opere agnoverint. Neqve aliò referre malim, qvod Plutar-

Sed & fatendum eſt, populos Chriſtianos, ubi ad tempora recentiora convertimur, idem feciſſe, qvod antehac Romani, iviſſe ſcilicet in obſeqvia Legislatorum Gentilium, & magnâ curâ ſtudioq; , ingentibus Veterum Romanarum Legum Voluminibus ſe immerſiſſe. Videbant autem, maximam eſſe in illis copiam & abundantiam legum, Chriſtianiſmo omninò non contradicentium, imò nihil minus qvàm Gentilium. Unde præter reductionem in formam concinniorem, & omisſionem eorum, qvæ magis ad mores gentis & ritus fori, qvàm rectitudinem vitæ civilis ſpectare cognoſcebantur, nihil propemodum emendatum in iis ab initio mutatumve fuit. Noſtra qvin etiam, eiq; retrò proxima ætas, qvanqvam ad omnium temporum invidiam, prudentiam Legislatricem excelſisſimè ſplendentem viderit, plurimum ſe tamen inſtitutis Romanorum debere, nunqvam non profitebitur. Itaq; per omnes Europæ provincias adhuc hodiè ſuus qvidam illis honos ſtat: niſi qvatenus Romani, poſtqvam à ſimplicitate priſtini ævi nimium qvantum diſceſſerant, id magis effecerunt, ut gloriam potiùs infinitæ ſubtilitatis, qvàm continentiam artis, necesſitatemq; fori & uſus publici, ſæpenumerò qvæſiviſſe, cuivis rem ad conſcientiam examinanti, non posſint non videri. Ut mirum adeò non ſit, ſi non omnium, qvæ à majoribus conſtituta ſunt, ratio à nobis reddi poteſt. Idem enim, qvi diu ante nos hoc ſaxum volverunt, ingenuè fatentur. Manſit tamen, inter hos nævos etiam, non minor Romanos laus immortalitatis, qvàm ceteros omnes populorum moratiorum. Adeò, ut ope Juſtiniani, Imperatoris ſine pari, reſuſcitata velut iterum ſeqviorum, qvæ inciderant, temporum memoria fuerit, oſtenſumq; qvaſi digito

to indice, faſtigium illud, qvò virtus & ſtudium pertinax, & cura humana circa culturam Legum vel eniſa fuerit, vel adhuc debeat poſſitq; eniti.

Utiqve enim, AUDITORES, utiqve reſtabat manus ultima ad impetrandam emaculatæ Jurisprudentiæ & Syſtematis Legum undiqvaqve nitentis, integram perfectionem. Illam ego manum peculiari DEI providentiâ credidi à Gente Saxonicâ debuiſſe imponi. Ut conſtaret nimirum, imparem tanto operi omnem alium populum eſſe, niſi qvi Auctori Statoriq; omnis juſti & decori, DEO, familiarisſimè eſſet admotus, h.e. qvi cum ſapientiâ forenſi conſummatâ, divinarum qvoqve Scripturarum ſolidam, eamq; ſuâ & primogeneâ luce radiantem, ac nullis ampliùs purgamentis hæreſium inqvinatam ſcientiam, pari, & exemplo prorſus incomparabili, primus conjunxiſſet. Tantis præſidiis inſtructo ſeculo facile fuit, univerſæ Legum Romanarum multitudini menſuram velut ac modum dicere, humanitùs inventa atqve excogitata ad normam luminis illuminati examinare, diſcernere commenta Prætorum à dictaminibus rationis, non ſuâ amplius vi unicè nixæ, ſed à Scripturâ adjutæ, iis etiam, qvæ à Majoribus noſtris pro genio iſtius ætatis, retenta adhuc aut tolerata fuerant, formam cultumq; elegantiorem conciliare. Succesſit negotium auſpicatisſimè, & cum admiratione populorum cultisſimorum eò deventum mox fuit, ut non ſibi ſuisqve terris, ſed maximæ Europæ parti, qvà ſcilicet patrii mores non refragabantur, Jus Novum impoſuiſſe ac condi-

MAURITII, AUGUSTI, CHRISTIANI, Voſq; inter illos primi, JOHANNES GEORGII, PRIME & SECUNDE! Ac TU qvidem, O *SECUNDE,* hodiè & nunc verè Secunde! Macte eſto ob Leges à TE ſanctisſimas latas gloriâ hâc immortalitatis. Circumfert fulgorem, (qvùm tot aliis enumerandis agnoſcam me non ſufficere,) ac in æternum circumferet Nominis autoritatisq; Tuæ fulgorem *Codex uterq; ſacer,* circumferet etiam *Codex & Syſtema Juris Saxonici,* circumferent tot ſaluberrimæ *reſolutiones publicorum Gravaminum, tot Deciſiones Autbenticæ Caſuum Juris* per tot annos maximè dubiorum, qviq; & Prudentum ſuffragia, & ſcholas tàm diu afflixerant. Qvicqvid hîc à TE dictum, ſenſum, juſſum, vetitumq; eſt, immortale eſt, & æternùm obligans.

Paturnè verò Veſtra, AUDITORES, ex tàm diligenti auſcultatione præſumpta benevolentia, ut à propoſito diſcedam parumper, mentionemq; verbo faciam legum illarum & conditionum Pacis, qvas in negotio immenſi momenti, Daniæ inqvam Svediæq; inter Maximos Reges, Noſter hic Princeps-Elector, Pacis ſtudioſisſimus, finiente anno proximo, maximis curis, & providentiâ ineffabili, ſi non tulit, promovit tamen, atq; in hanc, qvà perpetim, ita faxit DEUS, vigebunt, conſonantiam redegit. Si templa & aræ, ſi ſaxa & marmora, ſi effigies aurô ſculptæ, cæteraq; adverſus mortalitatem reperta præſidia, Principes vetant mori: Si Legum latarum ac ſervatarum auctoritas indeficibilis æternitatem dat Reipublicæ, immortalitatem verò dat Principi, qvi eas tulit: Dicite ergò, PATRES ACADE-

DEMIÆ CONSCRIPTI, dicite ſententiam ordine, qvô aſſidetis, qvæ perpetuitas gloriæ eventura ſit Sereniſſimo ac Potentiſſimo Electori Noſtro, Divo JOHANNI GEORGIO SECUNDO, qvi, poſtqvam domi pacata ſervaverat omnia, neqve ad ullum, per tot annorum imperium, obvenientium ſcopulorum, ad nullum, inqvam, qvæ gratia divini Numinis prorſus ſingularis extitit, adhæſerat, Exterorum etiam Regum, ſævisſimis armis implicitorum, cauſam qvaſi ſuam facere, tantoq; bello, non belli artibus, ſed pacis, finem imponere, pacemq; tum Regnis latisſimis, tum ipſi Romano Imperio, cujus qvies ex compoſitione iſtâ pendere adhuc videbatur, felicisſimis rerum auſpiciis, ac fortè non omnibus imitandis, reducere non formidaverit. Iterum rogo veſtram, PATRES, ſententiam de diuturnitate gloriæ ex numerô tot tàm proſperè, tâm fortiter, tàm prudenter geſtarum rerum latarumq; legum enaſcentis. At non exſpectanda à VOBIS eſt nova ſententia. Idem enim ſcio Vos ſentire, ita Vos adjuro, qvod hactenus à me dictum eſt: ELECTORES ET LEGISLATORES SAXONIÆ ESSE IMMORTALES!

Tu verò, DEUS æterne, DEUS ſancte, DEUS omnipotens, cui ſoli debetur laus, & honor, & virtus, & Victoria, cujus ſunt throni & poteſtates, throni & poteſtates cœlo-

Unico Heredi-Filio, JOHANNI GEORGIO TERTIO, qvi in Sancto habitas! Fac Nobis perpetuum eſſe Solem hunc Orientem: & gladium, qvem à TE accepit Elector Potentisſimus, hunc patere, DEUS Summe, Tibi non niſi ſerò, ac poſt multos triumphos, poſt plurima in Rempublicam invecta commoda, poſt extructa immortalitatis æterna monumenta, qvorum jam nunc qvoqve exſtant non pauca, purum ac inſontem, & ſibi ſemper ſimilem, reddi. *Qvem das, ſervabis honorem.* Benedic porrò acerbisſimè afflictæ Univerſæ Domui Electorali, Univerſæ Saxoniæ. Agnoſce, ô DEUS, veſtigia Tua, veſtigia Verbô Tuô, Tuô ſangvine tincta; qvibus gloriantur hæ Tuæ provinciæ, hæc Tua vinea. Benedic Academiæ huic, huic Templo Tuo, huic Sancto Tuo, DEUS, DEUS, qvi in Sancto habitas! Benedic, qvi Benedictus es in ſecula: LAUS ISRAEL!

D I X I.